

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES
—
VARSIAE POLONORUM VARSIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES
—
LONDON W.

28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

AMERICAE SEPTENTR.
Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK CINCINNATI

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Foedus inter Apostolicam Sedem et Galliam interruptum.
Foedus vulgo Concordatum inter Apostolicam Sedem et Gallicum gubernium
ann. M DCCC I sanctum.

Accrescens Pontificatus Romani sublimitas.

Ex Americis. De Americanis itineribus.

**Fabulae selectae Fontanii a Joanne Bapt. Giraud latine redditae, passim
retractatae a Francisco Xav. Reuss: CXXV.** Ostrea et duo litigantes.

Thomas Vallaurius.

De Sacra Congregatione christiano nomini propagando praeposita.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Aestiva diverticula. In via ductu ferrea de socialismo colloquium.

Acta pontificia: Decretum Sanctissimi per S. Congr. Concilii vulgatum de observandis
et evitandis in Missarum manualium satisfactione.

Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissions. - Pontificiae electiones. - Varia. -

Vita functi viri clariores.

Annales: Iaponicum bellum. - Russorum minister domesticae rei praepositorus ne-
farie interemptus. - Russici imperii haeres natus. - Angli et Germani in Africa. -
Australis Americae motus. - Discremen inter Galliam et Apostolicam Sedem.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum de imagine SS. D. N. Pi P. X a Vox Urbis comm. vulgata.
Per Orbem.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIV

SOCIIS MONITUM.

SSMI DNI N. PII PP. X IMAGO, qua superiorem Commentarii nostri numerum decoravimus, ex tabula aere cusa desumpta est, quam renovata nuper ad gloriam antiquissimam officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam post menses septem assidui indefessique laboris recens edidit. Imaginem autem ipsam deligimus, quum vultus vigorem, oculorum vim lineamentaque Patris amantissimi praeter ceteras aperiat, itemque artis opus proferat selectissimum, quemadmodum Ipse Pontifex, — qui pro animi sui benignitate pluries artificem apud se admisit, coram eo constiturus, ut opus omnibus numeris absolveret, — recognovit, autographon denique sub exemplari sibi oblato apponens, quod pariter sociis videre fuit.

Nos itaque ut eorumdem sociorum diligentiae nostrae pignus novum praeberemus, apud memoratam officinam institimus, ut exempla imaginis nobis concederet commentarii *VOX URBIS* sociis imminuto pretio divendenda; qua nostrae sollicitudini gratiore annuente, factum est ut *tabula metr. 0,63 × 0,85 apposita charta manu facta, calchographice impressa, quae vulgo lib. 8 venum datur*, apud nos haberi queat lib. 6 ad domicilium quaerentis, nullo scilicet diribitorio debito pretio.

Iussa vero unice mittantur ad ARISTIDEM LEONORI EQUITEM, Commentarii *VOX URBIS* possessorem et administratorem, Romam (*Via Alessandrina, 87*).

PER ORBEM.

M^{III} indesinenter peraganti orbem **nova pericula** heu! instant: non enim iam a consuetis infortuniis vita in disserimen adducitur, ut vaporitraharam occursu, e ferreis axibus curruum egressu, et similibus: homines hinc, inde belluae miseris viatoribus insidianter. Nonne audistis curruum seriem, ad Aloianam Americae omnium artium expositionem multos homines adducentem, in medio itinere a latronum manu fuisse invasam, eosque, post male mulcatos viatores resistere conantes, omnibusque rebus pretium habentibus potitos, fugam arripuisse ac tuto in silvas sese abdidisse?

Alii currus septentrionalis Americanae societatis, cui vulgo nomen *Cannal and Black Forest Railway*, ad oppidum Vicox Summit per venerant, quum ursus, grandis quidem et eretus, inter ferreos tramites conspectus est, eique proximi comites ursini duo, eodem ritu consistentes. Periculum progredi erat profecto; itaque vaporitrah cursum intermittens sibila acutissima vaporisque turbines emittere coepit, ea de causa ut belluae in terrorem conectae arcerentur. Frustra tamen; neque meliorem exitum obtinuit magna lapidatio, quae deinde a viatoribus famulisque facta est: pervicaces enim ferae solo offrimenta videbantur. Quid denique restabat? Perticæ arreptæ, alteri eorum capitì obvoluti panni sunt petroleo mafacti, foco immissio in bellugas actae, quae, quum pellem et os aduri sibi sentirent, tandem aliquando a suo loco recesserunt. A suo loco dixi; sedem enim tantum mutarunt, rectoque ordine, pedibus posterioribus innixa, intrepide iuxta currus sese collocarunt, stantes donec omnes pertransierunt.

Necopinatum quidem neque laetum circum euntibus Americanis illis spectaculum; necopinata pariter ac magis acerba, quae proximis hisce diebus fulgura passim patrarunt. Me-

morem Cherbourg in portu torpedinem quam dicunt iaculatoriam machinam in aquis reconditam alterius ex iis electrico igne fuisse disruptam, damnaque navibus litorique intulisse; Chalonii ad Ararim flumen fulgere pariter templum quoddam, antiquitate conspicuum, omnino deletum.

Gravissima vero damna ab incendiis sunt procurata. Primum Telonii in navalibus extortum; paucis post diebus Esterel in Gallica silva saeviit; proximis autem in nemore illo celeberrimo ad Fontainebleau, cuius decem millia et ultra mensurarum, quas «aras» vocant, flammarum praeda fuerunt. Ignis ad oppidum ipsum pervenit; quamquam, haud deficiente aqua, eius rabiem heic brevi coercere datum est.

Contra Victoriae in Britannica Columbia incendium in officinis ad secandas arbores extitatum urbis partem ad septentriones positam pervasisit, consumpsit.

Pariter Neukalusz in oppido ad Leopolim domus nonaginta quinque ignis pervastavit; Kisuzaujhely autem apud Budapestinum trecentas, hominumque sex cladem procuravit.

○

Sed iam finem aerumnis, quibus assuevimus, hodie imponamus, vitaque funetos viros clariores brevi commemoremus.

Ad lacus Lemanni ripas, Clarens in oppido, quo extorris patria recesserat, gravis annis procellosae vitae cursum absolvit Paulus ille **Krugerius**, ob recentes australis Africae eventus omnibus notus. Anno M DCCC XXV natus, quum populus eius, Boeri scilicet, primum agmen, ut ita dicam, constituerent, quod fines defendere Anglii imperii contra Cafrorum Zuluque barbarae gentis indesinentes incursiones, etiamtum adulescens, suis frustra res repetentibus ex pacto constitutas, ad bellum profectus est, unde Transvaaliana civitas et liber de Orange status in posterum exstiterunt, si-

bique rerum gestarum famam procuravit, quae fabularis quasi historia apud cives suos manaret. Anno M DCCC XLVIII iam ducis munus in Orange erat assequutus, atque post annos quatuor reipublicae Transvaalianae condendae operam addebat: deinceps summus imperator, inter supremi consilii viros, alter a reipublicae praeside electus est. Quum autem an. M DCCC LXXVII Anglia Transvaalianam regionem sibi addixisset, legatus Londinum est missus, ut accessionis revocationem quaereret; re vero infecta in patriam reversus, una cum Ioubert ac Pretorio triumvir est factus ad luctandum cum Anglis, qui ad Acaibam profligati Transvaalianae reipublicae libertatem tandem recognoverunt; cui in posterum tuendae cives plures Krugerium praesidem delegerunt. Auri atque adamantium fodinae in regione inventae, Anglica colonia in dies aucta ac praecipue Cecili Rhodessi ambitione, Anglicum imperium in infima Africa ad instar Indici somniantis, causa novarum dissensionum inter daos populos fuere. Iamersonii satis notus ille conatus, ut duabus civitatibus potiretur, ineassum quamvis cessisset, Krugerius facile intellexit libertatem patriae sua in disserimen iam adductam; itaque totum se dedit ad gentem terramque suam omni ope munendum; verum neque bellici apparatus, neque civium virtus, neque Krugerii ipsius tenacitas extremam ruinam vitarunt, cui ipse dolens usque ad ultimum adfuit....

Viro huic libertatis summo adsertori, quem ipsi victores hostes vivum admirati sunt, mortuum autem, indomitum quamquam, honoribus suis dignum putarunt, hominem alium, in officiis civilibus non ignobilem, letum coniunxit, **Petrum Mariam Waldeck-Rousseau**, qui Gallicae reipublicae gubernacula tenuit ac praesidem futurum praedicabant; cuius vero nomen historia tradet, quippe qui Sodalium religiosorum beneficam actionem primus coereuerit; atque Combessi hodiernam persecutionem, quamvis fortasse praeter voluntatem, moverit. Natus erat die II mens. Decembr. an. M DCCC XLVI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

FOEDUS

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET GALLIAM INTERRUPTUM.

DE Gallico discrimine non semel dicere atque scribere nostro in commentario fidei christiana studium nos coegit; cuius addictissimi filii et esse et haberi gloriamur. Modo autem renovant occasionem recentissimae contentiones a Gallico gubernio in Pium X Pontificem inlatas, quae iam ad revocandos utriusque legatos hinc inde induxerunt; neque dubitamus eo procedi posse ut supremae pactiones, quibus Gallica natio Petri cathedralae devincitur abrumptantur.



Certum enim atque gravissimum huius mentis praebuit argumentum Gallici legati ipsa revocatione; cuius facinoris, diu iam optati, caussam ex nonnullis litteris Gallici praesides sumpserunt, quas Pontifex, spirituali suo munere fungens, ad duos Galliae episcopos miserat.

Omnis enim sciunt ex quo primum Vallis Vidonis antistes Iosephus Geay suam sedem occupavit, ad quam Gallici administris foederis iure utentes (cur non dicam «abutentes»?) nominaverant, graves incusationes eius de moribus motas in ipsum fuisse; qua de re quum canonica inquisitio habita esset, tale apparuit incusationum pondus, ut Suprema Congregatio Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis episcopo suaserit ut pastorali officio suo sponte valediceret, eoque etiam quod penes eum nulla gubernandi gregis auctoritas iam maneret. Quam plane cantelam si ipse adhibuisset privatisque adhortationibus morem gessisset, tum decori suo, tum fidelium paci consuluisse, processum illud vitans et iudicium, quod sine scandalo difficillime esset futurum. Episcopus ille primum paterno consilio accedere visus est; mox vero, mutato animo, conditionem Apostolicae Sedi indixit ut alia dioecesis sibi crederetur, quae vel minima Galliae esset. At motae in eum incusationes quum, uti superius declaravimus, non ex obortis in dioecesi iniunctis, sed eius ex moribus causam sumpsisset, patebat satis cuiuslibet dioeceseos regimen illi impossibile fore.

At qua longanimitate Romana Ecclesia pollet illud indulxit paullatim Pontifex, ut inquisitio intermitteretur, futurum episcopi vitae modum

sperans, qui admissa redimeret. Spem vero fellit in dies magis eventus; incusationesque auctae sunt, ut nullam iam amplius medelae dilationem paterentur. Itaque Sacra Congregatio litteras iterum ad episcopum Maio mense huiusc anni misit, illum iubens intra mensam dioecesim linquere, ne ad ulteriora ipsa progrederetur.

At episcopus has litteras, arctissimam secreti legem frangens, Combesio gubernii praesidi eiusque sociis communicavit; qui proinde ad Pontificem rescribendum curarunt ut mandatis abdicaret, supputantes ab ipso episcopum iri depositum, ni a suo munere recederet.

Ad haec vero respondit Apostolica Sedes sibi nil aliud esse in animo quam legitimae inquisitioni episcopum submittere; quodsi iudicium exitum habuisset episcopo prorsus infensum, ita ut deponendus inde videretur, tunc ipsam concordatariae pactionis legibus fidelissime obtemperantem, iuxta statuta sese esse gesturam.

Iamque haec videbantur consulibus satisfuisse, quum Vallis Vidonis praesul, labente mense Iunio ad Summum Pontificem iterum scripsit: de patefacta Galliae consulibus Sedis Apostolicae epistola nullum verbum; sponsiones contra multae de itinere suo Romam futuro Octobri mense. Ad haec respondit vir eminentissimus publicis negotiis praepositus Urbem ipsi intra duas hebdomas adeundam, ut sese ab incusationibus purgaret; at ille iterum acceptum iussum Combesio sociisque patefecit, atque de re monuit Apostolicam Sedem. Huic postremae epistolae iterum responsum ab emo viro fuit ut intra decimum diem episcopus Romae esset sub poena suspensionis «latae sententiae ab exercito ordinis et iurisdictionis».



Similia Divionensi episcopo contigerant, in quem pariter ecclesiasticae incusationes motae fuerant, eoque erat processum ut, huius anni Februario mense, tirones seminarium linquere maluerint quam sacros ordines ab episcopi manibus suscipere. Itaque ineunte Martio mense, ad episcopum scriptum est ut a sacris ordinationibus ad tempus abstineret. Hanc ille epistolam magistratibus communicavit, qui Romanum rescriperunt foederis illius celeberrimi pactiones sibi videri ab Apostolica sede hisce iussibus esse perruptas. Verum Aprili mense labente litterae sunt ad Divionensem quoque episcopum missae ut Romam veniret seseque

ab incusationibus illatis coram sacro Tribunali excusaret; qui respondit spondens se circa medium Iunium mensem adventurum. Nondum vero, expleto mense, ille venerat, ita ut condicere illi diem opus fuerit ad veniendum subpoena suspensionis latae sententiae incurrenda. Quas litteras quum ille accepisset consulibus et ipsas notas fecit; qui proinde simili forma, qua de Vallis Vidonis dioeceseos rebus usi fuerant, ab Apostolica sede petierunt ut iussa episcopo communicata rescinderentur.



Verum emus vir Raphael Merry del Val iussa in utrumque episcopum inlata legitima undique esse clarissime ostendit fusa epistola, et pactiones celeberrimi foederis adhuc manere integras, neque ipsos articulos quos *organicos* vocant (a Gallico gubernio post «concordatum» additos numquam vero a Sede Apostolica recognitos), fuisse quidem violatos, quippe qui unice ad rationes sese referant, quas *de politia vulgo* appellant, circa ordinem in publico cultu exercendo, atque inde eorum inniti fundamento nemini bona fide licere; denique Pontificis in arbitrio minime esse ut imperium suum spirituale sibi a Deo concreditum abdicaret, vel alicuius manibus traderet.



His de caassis, quas ex documentis desumptas candide exposuimus, malum illud discri-
men ortum, quod historia, testimonium veri-
tatis, utrum Apostolica Sedes an Gallici ad-
ministri moverint severe iudicabit.

FOEDUS VULGO CONCORDATUM

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET GALLICUM GUBERNIUM

AN. MDCCCI SANCTUM (1).

Gubernium Reipublicae recognoscit religio-
nem Catholicam Apostolicam Romanam, eam
esse religionem quam longe maxima pars ci-
vium Gallicanae Reipublicae profitetur.

(1) Ut sociis nostris aequa sit potestas iudicandi de la-
mentabili illo discrimine, quod inter Apostolicam Seden et
Galliam exortum est, exemplum foederis (vulgo «concordati»)
exhibemus inter utrumque existentis, atque a Secretaria Sta-
tus in suis documentis vulgati. Socii praecipue articulum III
considerent, sibique in mentem revocent «articulos organicos»,
deinde additos, praeterquam quod ab altera contrahentium
parte, id est ab Apostolica Sede, numquam fuerint recogniti,
rationem tantum iuxta art. foederis I, habuisse «ordinationum
quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate
necessarias, se ducere declaraverit.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem religionem maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari ex catholico cultu in Gallia constituto, neenon ex peculiari eius professione, quam faciunt Reipublicae Consules.

Haec cum ita sint atque utrinque recognita, ad religionis bonum internaeque tranquillitatis conservationem, ea, quae sequuntur, inter ipsos conventa sunt:

ART. I. Religio Catholica Apostolica Romana libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

II. Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum dioecesces circumscriventur.

III. Summus Pontifex titularibus Galliarum Ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quo ipsas suas episcopales sedes resigent.

Hac hortatione praemissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiae bonum exigit, renuere ipsi vellet (fieri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicanarum Ecclesiarum novae circumscriptio de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. Consul primus Gallicanae Reipublicae, intra tres menses qui promulgationem Constitutionis Apostolicae consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novae circumscriptio dioecesis praeficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit iuxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutacionem statutas.

V. Item Consul primus ad Episcopales sedes, quae in posterum vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo praecedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicanam dabit institutionem.

VI. Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipient, coram primo Consule iuramentum fidelitatis emittebant, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum:

« Ego iuro et promitto ad Sancta Dei Evangelia, obedientiam et fidelitatem Gubernio per Constitutionem Gallicanae Reipublicae statuto. Item, promitto me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat; et si tam in dioecesi mea quam alibi, neverim aliquid in status damnum tractari, Gubernio manifestabo ».

VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem iuramentum emittebant coram auctoritatibus civilibus a Gallicano Gubernio designatis.

VIII. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliae templis, sic orabuntur:

*Domine, salvam fac Rempublicam:
Domine, salvos fac Consules.*

IX. Episcopi, in sua quisque dioecesi, novas paroecias circumscrivent; quae circumscriptio suum non sortietur effectum nisi postquam Gubernii consensus accesserit.

X. Item Episcopi ad paroecias nominabunt; nec personas seligent nisi Gubernio acceptas.

XI. Poterunt iidem Episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque dioecesi, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.

XII. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quae non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

XIII. Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique religionis restituzione, declarat eos qui bona Ecclesie alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus et iura iis inhaerentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causas habentes.

XIV. Gubernium Gallicanae Reipublicae in se recipit, tum Episcoporum, tum Parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quae cuisusque statum deceat.

XV. Idem Gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

XVI. Sanctitas Sua recognoscit in primo Consule Gallicanae Reipublicae eadem iura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

XVII. Utrinque conventum est quod in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis Catholicam Religionem non profiteretur, super iuribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis Iulii 1801.

HERCULES CARDINALIS CONSALVI (*L. S.*)
J. BONAPARTE (*L. S.*)
J. ARCHIEP. CORINTHI (*L. S.*)
CRETET (*L. S.*)
Fr. CAROLUS CASELLI (*L. S.*)
BERNIER (*L. S.*)

ACCRESSENS
PONTIFICATUS ROMANI
SUBLIMITAS⁽¹⁾.

In Romani Pontificatus historia, quae monumentum ingens est maxima et splendidissimae institutionis, quam humanum genus nusquam assequutum est et adipisci valuit, cuius compos toto orbe terrarum futurum aliquando sit, nobis difficile non est summas distinguere lineas relationum inter Religionem nostram et humanam Societatem, inter Gratiam et Naturam recentioribus quatuor saeculis Europae effulgentium ac rutilantium.

Assurgente « Protestantismi » reformatione, Pontificatus Romanus, in quo nuperi sedentes uberrimos fructus decerpserant et collegerant a Societate Christiana, quam inter idololatras

⁽¹⁾ Cfr. num. sup.

et barbaros plantaverant atque excoluerant, repente a gentibus Europaeis derelinqui quamplurimis conspexit, reliquos in ancipiis esse ut quantocius desererent, et alind politice vivebant, aliud religiose sentirent.

Iamque res ad triarios delapsa videbatur, ac de catholica religione conclamandum. Sed (mirabile visu et facto hoc eminet) Pontificatus Romanus, virtute et constantia plusquam humana, quantus erat ad muros et antemurale conversus, divini haeredii sui integritatem in columitatemque tuens, quatuor perpetuis saeculis, — tot enim fere a Tridentino ad Vaticanum Concilium fluxerunt, — omnem adversariorum impetum repulit, atque ita retudit, ut illa pugnarum praeliorumque successio quasi cursus et successio crescentis in dies gloriae, et triumphus dogmatum continens videretur.

Atque haec dum in moenibus et circa maenia aguntur, Romano more domi disciplinam fraeno sub revocato coercent, subruta erigebat, nuntiantia firmabat. Profecto nihil suo adiecissem imperio videbatur, qui reliqua sua vix tueretur; sed iam egregium erat et victoriae omen Pontificem Romanum unum esse omnibus parentem, et unum posse contra omnes existere, circa quem inanes omnes effundebantur impetus, et intorta tela sine vulnere concidebant.

Prosequarne Romanam historiam? Quum de Romano Pontificatu sermo sit, aequum est non absurdum neque absonum certe Romana memorare. Dum Hannibal populatur Italiam, non unus in ipsis Carthaginis arces Scipio demittitur, et qui Romanum Pontificatum se destrueturos facile rebantur, Pontificis Romani audiētes dicto in suis provinciis imperiisque repererunt, et quamquam ingratias iterum in suis regionibus constitutam hierarchiam catholicam pertulerunt.

At summis hisce reipublicae catholicae temporibus, tamquam immane monstrum, gigantea illa doctrina et nova vitae civilis dispositio, Protestantismo accubante, in Pontificatum novo belli genere incurront.

Et iam doctrina ultimum effata verbum est, sententiamque protulit, religionem non esse quid divinum, sed mere historicam et humanam necessitatem. Nova civilis vitae ac socialis dispositio ipsa quoque sententiam attulit, qua Pontificati Romano civile regnum penitus eriperetur, atque huiusmodi dominatio inter vanas historiae recordationes amandaretur.

Iamque et illa novae scientiae portenta in cathedris et academis celebrantur, iamque lactentium sermone crebrescunt; iamque regia Pontificum chlamys plaudentibus populis et in vota ruentibus vi et arte ad collum usque discerpta est.

Quis non autem, quis non iuret Pontificatum Romanum et cum ipso Ecclesiam Catholicam penitus interemptum, funditus deletum? Et ipsi quidem sic fore asserebant, et de futuris iurabant.

Verumtamen hoc mirandum exstat, nec humanis consiliis forte explicandum. Pontificatus et Ecclesia non modo vivunt adhuc, sed pugnant, nec modo pugnant, sed vineunt.

Qui igitur terreni regni fastigio divulsus, et civili dominatione privatus brevi omnino inte-

riturns credebatur, in novas vires et opes praeclariores assurgit. Quis non memoret iuvenculum David deponentem regia Saul arma, et conclamantem se non possesicarmatum incedere, et tamen inermi brachio prostravisse gigantem?

Brevi eo deducta res est, ut vel penes duces, qui pugnis suis subversum simul et Pontificem et Catholicismum putabant, non modo victoriae ac triumphi spes omnis deciderit, sed iam aegre se pugnare sentiant, et neque diu posse resistere, neque a profligatione suprema se longe abesse praevideant. Apud enim cultiores populos Romana assurgit Ecclesia optimarum omnium rerum et inspiratrix et moderatrix, si qui essent hi aut haeresi aut schismate ab ipsa divisi; atque ipsis catholicis gentibus non minus quam acatholicis exploratum appetet hanc non pro incolumitate imperii, sed pro salute totius humani generis et dimicare et dimicasse.

Hinc futurum brevi est ut abdicatis calumniosis quibusvis opinionibus ad eam, tamquam ad vitae morumque magistrum et ministram, redeant, in qua nihil appetet nisi quod et humanae perfectibilitati sit consentaneum tum in iis quae ad intellectum veritatemque sunt, tum in iis quae ad praxim quotidianaem vitae referantur.

Sic igitur exstat et stabit in medio nationum omnium quasi maximum imperium late longeque dominans tum unitate et consensu mirabili virium ac tenacitate propositorum, tum indeficientia animi atque virtutis, quorum Roma fundamentum non quassabile sit, ac centrum, a quo lux et vita in populos dimittantur.

Haec fieri, tamquam in nube, potentissimae animadverterunt mentes, quum, satagente Pio IX, fel. recordationis Pontifice, efficaci verbo totus paene orbis terrarum commotus est. Ingens hoc opus Leonis XIII Pontificis sensit manum et animum, sentit nunc Pii X ad omnia in Christo instauranda invocantis et satagentis ut hac ratione Ecclesia Catholica veluti gentium et Mater et Regina vocem inferat suam, ubi de regundis ordinandisque populis sermo sit; iamque in Romana Ecclesia reges non aemulum, sed humani generis parentem libenter agnoscunt, amplectuntur.

Mirabilis haec certe glorificatio, et inopina quampluribus; quippe necessitate rerum ad novam civilis iuris constitutionem veniendum est, qua leges non ad hominum arbitria et opiniones edantur, sed eae sint, quales et decent et esse debent, aequa scilicet et iusta, cuius a *Numine* sit ratio tracta; neque alia sit Romae lex, alia Athenis, sed una eademque et haec optima omnibus, qua quisque et bene agat et beatissime vivat; unus autem publicarum rerum, sententiarumque regum omnium moderator Deus; namque ubi Spiritus Domini ibi libertas.

R. M.

EX AMERICIS

De Americanis itineribus.

MIHI in amplis vaporitrahis sedenti opportune venit in mentem, mirabilem Americanorum itinerum commoditatem et facilitatem, notatu dignam, cum cura investigare, quum

inter omnes constet, haud parvam esse Europea inter et Americana itinera differentiam.

Omnis ferro stratae viae non a gubernio, sed a variis societatibus et possidentur et administrantur; quarum plurimum interest, ut omnia quae peregrinatoribus voluptati sint et commodo, sedulo suppeditentur. Vehicula igitur amoena et ampla, circa quinquaginta pedes longa, nullis sepimentis divisa; media eorum tecta in quosdam formata fornices, quorum patulae fenestellae mirum in modum efficiunt, ut vehicula iucunde grateque ventilentur, quamquam inferiores iuxta viatores fenestrae sunt operae, per quas apertas fuligo saepe et fumus incidit. Sellae corpori gratae et commoda, in quibus, holoserica veste indutis, molliter considerare iuvat; sellarum arcus, quum versatiles sint, ita semper accommodantur, ut ad pyromachinam versus viatores sedeant; posticum in unoquoque vehiculo naturae necessitatibus percommodum, quo in plerumque perlucidum speculum et clara ad lavandum aqua, munditiae cultori in promptu sunt; insuper exteriori postici parti haud parvum frigidae aquae receptaculum est affixum, quo suam quisque sitim primo quoque tempore explere possit. Praeterea quum Americani reipublicae fautores omnes homines inter se aequales existimant, nulla in ditiores et statu nobiliores seiuncta sunt vehicula, sed ad cuncta omnibus patet aditus.

Quamvis res ita se habeat, tamen magna in vehiculis urbanitas, compressum saepe inter viatores silentium; alii toti in ephemericibus, alii pallio exuti in libellos incumbunt, alii regionem lustrant, alii interdiu de civilibus rebus disputant. Ministri, qui schedulas aut perforant aut colligunt, perurbani et ne quid ultra a te postulent, alteram tuo petaso affigunt schedulam; nec incommodo contingit, ut iuvenis famulus vehicula iterum tertiumque perambulans mellitas palato cuppedias et poma atque novissimas cuiilibet curioso ephemerides variosque libellos laetus venumdet. Evidem doleo, multa, quae heic divenduntur, peregrinatoribus damno potius esse et detimento, quam emolumento et utilitati...

Sunt etiam apud Americanos dextre constructa vehicula illa, vulgo *sleeping cars* nuncupata; quae quidem quum primum ingressus es, non potes, quin oculis fidem fere detractes. En! opipara tibi et lauta ornamenta, molles et iucundae sedes, in quibus deinde in lectulos mutatis in utramque aurem dormire tibi haud dubie volupe est. Io! nil te ex somno excitat, quamvis diversae ferro stratae viae forte transundae sint, quum haecce vehicula ab una urbe usque ad destinatam urbem directe percurrent et ab uno in alium tramitem, viatoribus quiescentibus, facile dirigantur. Ubi primum experrectus es, te lavare, vestesque purgare, vel, mundo muliebri deditus, cerussae et purpurisso operam navare ex sententia potes; nec famuli desunt, qui tua ipsius calceamenta reddant nitida. Itaque quid mirum, quod Americani magna voluptate et utili compendio itinera faciunt, quum totam per diem ad expedienda negotia sumere nocteque inter dormendum aliam urbem petere, ibique lauta facie, veste munda, nitidis calceis nova inire negotia iis mirum in modum liceat? Praeterea in longioribus itineribus alia amplissima sunt et luxuriose ornata vehicula, nec optima culina cum magnifico triclinio deest. Evidem ultra?

Restat quidem ut pauca de bulgarum et vidulorum transvectione dicam, qua nil facilis, nil commodius. Namque viduli onere gravatus sarcinarum aedas diribitorem, qui quum locum, quo tendis, cognovit, tibi quandam tradit schedulam; quo peracto, nulla deinde tibi de vidulo cura et molestia, utpote quae cum fiducia mandasti, ea ut primum locum destinatum assecutus fueris, salva recipies et integra.

At id meam excitavit animadversionem, quod ferro stratae viae non tam firmae et stabiles, quam in Europa, exstructae esse videntur; insuper stationum aedificia, ubi vehicula consistere solent, parva plerumque et lignea; in maioribus tamen oppidis et operosis in urbibus maiora et amoeniora iam sunt aedificata.

Haec dum mente revolo, Pittsburg, fumoso illi ferri emporio, citius appropinquamus. Iam raucus perstrepit sibilus, et aes superiori pyromachinae parti affixum clare resonat; innumeræ fere ferrariae officinae fumantes veniunt in conspectum; in quodam colle S. Spiritus collegium eminet, cuius diligentes discipuli nos latino poemate nonnunquam oblectant. Iamvero quum sub stationis tectum venimus, vehicula hilaris relinquimus, dum hic illicque adstant viri, qui mulieribus descendantibus adminiculio sint, quod feminarum venerationi hisce in civitatibus exulta utique consentaneum est.

Proinde ipsam ingredior urbem. Hercle! quae operosa et industria vita! Viae plaustris, cisis, carpentis, curribus rhedisque electride raptis, penitus refertae; arguti homines hinc illinc se corripiunt, festinant, properant, quasi eam, quam appetunt, vix possint contingere metam. Nil praeter rumorem et strepitum atque fragorem percellit aures. En. vera Americanae urbis imago! Id unum autem magnopere laetor, quod tot in urbe sunt catholicae religionis templi, quae permultos heic fideles pane pascant caelesti, ne hi tot tantisque operibus abrepti in Deum tendere desinant!

HIL. DOSWALD.

FABULAE SELECTAE FONTANII

A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS (1).

CXXV. — OSTREA ET DUO LITIGANTES.

Cives forte duo repererunt ostreon unum,
Acta quod ad littus vixerat unda maris.
Monstrat uterque dapem digitis, oculisque ligurit;
Lis oritur, cuius viscera praeda beet.
Iunior en se demittit, rapturus ofellam;
Quem senior cubito praepedit atque manu,
Haec in verba: — « Prior qui ferulum viderit, ille
Hauriet; hausturo plausor et alter erit».
Cui socius: — « Mihi lex — inquit — placet ista, favetque:
Lyncea vis oculis insidet hisce meis».
— « Ast acies aquilina mihi; mihi visa priori
Ostrea». — « Notuerat naribus ante meis».

(1) Cf. num. sup.

*Infensis ita dum verbis pugnatur utrinque,
Obvius en Cuias (1) arbiter eligitur.
Ille gravi vultu geminas, dum spectat uterque,
Discludens valvas, interiora vorat.
Abstersis exinde labris : - « Themis aequa - profatur -
Vos amat, et concham donat utrique suam.
Donat gratuito: vos ergo, lice soluta,
Ad vestros placida mente redite lares ».
Grandia quot vidi patrimonia, iudice laeto,
Laetis causidicis, lice perire mala!
Auri vim totam praetoria devorat aula;
Partibus una, vacans aere, crumena manet.*

(1) Cuias Iacobus, celeberrimus apud Gallos saeculo XVI iurisconsultus, decem scriptis volumina in fol, non semel typis edita: ubi tamen, nescio qua de causa, non *Cuias* ille, sed *Cuiacius* appellatur.

THOMAS VALLAURIUS.

Ex nobilis Caroli Boucheroni disciplina, de qua in hoc ipso Commentario latinam eloquentiam apud Archigymnasium Taurinense recolentes, fuse loquuti sumus (1), multi equidem exierunt alumni, qui immortalis magistri vestigiis insistentes, Subalpinis decus in latinis litteris excolendis, non modo servarunt, sed, si ita mihi dicere licuerit, etiam atque etiam auxere. Spectant haec mea novissima verba potissimum ad Thomam Vallaurium, qui, nostra aetate, in eloquentia latina tradenda principem locum in athenaeo maximo obtinuit, et famam nominis sui perpetuo studio atque constantia, praeter Italiae fines, ad Gallos Germanosque protulit, atque unus ferme exstitit, per quem inter paucas, quas ab antiqua Romanorum sapientia laudes Italia ad hanc usque diem servavit, hanc etiam retinuit.

Thomas Vallaurius, Clusiae natus apud Cueneenses anno V saeculi nuper elapsi, adhortante in primis patre, quem doctorem adhibuit vel a teneris unguiculis, ut ipse de se confidenter narrat, illam studiorum latinorum rationem est ingressus, ex qua, veluti ex clara omnis scientiae disciplina, magnam gloriam laudemque sibi comparavit. Sic enim, divina ferente voluntate, quum maxime apud nos adhuc viveret vigeretque Boucheroni memoria et desiderium, ne tanti hominis iacturam gravius sustinerent Subalpini, factum est, ut ipse optimus eius disciplinae alumnus, latinam eloquentiam traderet, brevi admodum interposito spatio ab eius excessu, ex eodem suggestu, eadem discipulorum voluptate, civiumque gloria. Ipse enim in magno Archigymnasi auditorio, eoram frequentissimo adstantium doctorum concursu, quum ad coronam oraret, de se eleganter, more suo, vel in ipso curriculi exordio, disseruit: « Namque si superioris temporis spatium respiciens, vel primae aetatulae memoriam repetam, video, me in Romanorum litteris tantum temporis atque operae posuisse, ut si minus ingenii et doctrinae laude cum praestantissimis sum comparandus, diligentia certe et voluntate proxime accedam » (2).

Vir plane singularis, qui felicissimo ingenio natura donatus, se tamen quidpiam magnum in litteris haud consecuturum existimabat, nisi in veteribus esset scriptis studiose et multum volutatus.

(1) Cfr. an. VI, n. XVII, XX, XXIII, XXIV.

(2) De laudibus Regis Caroli Alberti, oratio habita prid. Non. Novembr. an. MDCCXXXIX.

Quare optime de Thoma Vallaurio, et de eius operibus scripsit Didacus Vitriolius, egregius ille vir, qui olim praemium sibi obtinuerat in poetico certamine, quod Amstelodami singulis annis proponitur, quum amicus amico hunc titulum dedit:

THOMAE VALLAVRIO SVBALPINO
PRAEDIVITIS VENAE SCRIPTORI
QVOD BACCHANTIBVS PER ITALIAM BARBARIS
ROMANO ELOQVIO INFENSIS
IPSE VNVS VOCE ET EXEMPLIO
FVGIENTES AB AVSONIAE FINIBVS
LATINAS CHARITES RETINEAT
ITALI OMNES
CONSERVANDAE MAIORVM GLORIAE
CVPIENTISSIMI
INGENTES GRATIAS AGVNT.

Ipse enim multa civibus et varie actuosissimae vitae exempla praebuit, eique contigit, quod Plinius beatissimum putat, ut *multa scribenda fecerit, et scripserit legenda.*



Thomas Vallaurius.

De publica quoque civium institutione optime meritus, quo nullum in patriam insignius conferri beneficium potest, per quinquaginta et amplius annos, primum pueris ipse instituendis operam naviter dedit, deinde in futuris puerorum magistris fingendis singularem industriam probavit, mox quinquevir scholis moderandis ordinis secundi in eadem studia sapientem sollicitumque amorem ostendit, quem ex angustiore loci dignitate ac luce, inter populares oratores legibus ferendis in Subalpinorum regno, suffragio civium cooptatus confirmavit.

Sicque vir honestissimus debitum patriae officium cumulate persolvere putavit.

Viginti vix annos natus, humaniorum litterarum lauream in Archigymnasio Taurinensi est magna cum laude consecutus. Magisterium suum inchoavit Albae Pompeiae ad Tanarum, mox rhetorica Fossani docuit in Collegio urbano apud Sodales quibus est nomen a Somasca inditum, denique, ad maiora maxime spectans, Augustam Taurinorum, florente adhuc aetate, redit, ut inter Decuriales doctores litteris tradendis summo honore cooptaretur.

Alexandriae Statiellorum brevi tempore docens moratus, horis subsecivis, quae sibi a schola vacuae erant, vitam Thomae Valpergae, quam Boucheronus latine conscripserat, pari elegantia eademque sermonis puritate, in vulgare eloquium conversam, in vulgus edidit. At quum

latinis quoque litteris inclaresceret, suadente ipso Carolo Boucherono, praefatus est Ciceroni, quem Iosephus Pomba edebat: quod magister, multis rebus distentus et adversa iam usus valitudine, alumno carissimo ultro concessit.

In obitu magistri, anno MDCCCXXXVIII, Commentarium evulgavit latino eloquio conscriptum, et adeo casta ac nativa elegantia, candidoque amore et desiderio, ut maximis laudibus vel apud exteris gentes probaretur, et semel atque iterum edi mereretur. Quibus evulgatis operibus, etiamsi publice passim omnes profiterentur Thomam Vallaurium excepturum esse Carolum Boucheronum, attamen, ut tunc mos ferebat, in eius locum suffectus est Franciscus Lanterius, qui gravissimum latinae eloquentiae tradendae munus aegre ob longam valetudinem adsums. Sed vix biennium officio suo perfunctus est, quum morbo tentatus diu elanguit, et omnium discipulorum moerore tandem obiit. Ipse in amici locum tandem successit, postquam eius antea sustineret personam. In eius obitu, auditores suos alloquens, in schola luctuosum amici funus huiuscemodi verbis est prosecutus: « La- » mentabili autem casu, qui me collega huma- » nissimo, vos optimo doctore orbavit, adeo » sum affectus, auditores, ut numquam antea » meminerim, me tantum capere animo dolo- » rem. Namque memoria repetebam, abhinc » annos XXII, ambo florentes aetate, dum po- » litioribus litteris operam daremus, praeeun- » bus doctissimis viris, Carolo Boucherono et » Iosepho Biamontio, eam amicitiam nos con- » traxisse, quae numquam postea fuit disso- » ciata.... Sed quando illum fata intercepserunt, » neque alia ratione iam licet nostram ei be- » nevolentiam testari, illius interitum sic fera- » mus, ut numquam de humanissimo viro co- » gitemus, quin egregias ipsius virtutes meritis » laudibus complectamus ».

Haec volui verba in medium liberius proferre, ut eius dicendi rationem facto noverimus, et quo desiderio ac frequentia, latinarum ele- gantiarum dulcedine capta ad eius scholam Subalpina soboles adventaret.

Infinitus sim si velim singula persequi, quibus noster ingenium atque alacritatem studuit exercere.

Nemo sane ignorat quam aurea tempora fuerint, si de Subalpinis sermo esset, imperitante Carolo Alberto, quantoque studio grati cives praestantem optimi parentis curam ac prudentiam prosequerentur, qui in republica adminis- tranda illuc solum spectabat, ut gens Subalpina opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta, nihil sibi ad felicitatem deesse arbitraretur.

Quum noster cuncta se cumulate a rege Carolo Alberto accepisse profiteretur, totus fuit in laudibus huic adtribuendis. Nec modo in *Orationibus*, quae alternis annis habebantur studiis auspicandis in Auditorio Maximo Taurinensi, sed in continuis operum editionibus illuc admodum tendebat, ut voce atque exemplo lectissimum Italis campum in historia conscribenda proponeret, in quo pro dignitate exsultare potuisset eloquentia. Quae quum ita sint, quid mirum si inter scholasticas curas, in studiis incumbens, tot edidit volumina italico sermone exarata, quae nullo quasi temporis in-

tervallo interposito manibus teruntur etiamnunc; quibus est titulus: *I fasti della R. Casa di Savoia e della Monarchia; La Storia della Poesia in Piemonte; La Storia della Università degli studii in Piemonte; Il Cavalier Marino in Piemonte; Vita di Tommaso Vallauri scritta da esso.*

In his adnumerandae sunt, mea sententia, aliquot fabulae Milesiae, miro sapore eleganciaque compositae, nec equidem spernendae, quas animi causa per otium autumnale, scriptabat, tenuiori ratione tamen, ut repentinorum quorumdam hominum vitia in litteris debacchantium subtiliter atque argute carperet.

« Est enim, — ait Osvaldus Berrinius, eius disciplinae alumnus atque amicus —, apud nostrum videre omnia prope scribendi genera, vel serio exulta, vel leviter, et quasi per iocum tentata, neque haec tamen ipsa sine multa laude. A Milesiarum fabularum amoenitate ad grave historiarum condendarum opus nihil ferme intenatum reliquit. Polystorem, epigraphum, philologum classicorum interpretem, indicemque scriptorum, antiquae artis oratorem, omnia apud eum offendit. Quapropter verissime de se iudicasse dicendus est, quum rogatus ab amico, ut quidpiam de se scriberet, sub imagine sua, luce de picta, arrepto calamo, subitarum hanc inscriptionem exaravit:

LITTERAS LATINAS
IMPENSE COLVIT,
A CALVMNIA NTIBVS
ACERRIME VINDICAVIT.

Nimirum, quod olim magnis laudibus Quintillianus memorat de Cicerone, cuius nomen apud Romanos idem erat atque summus orator, sic apud Subalpinos, quo tempore Thomas Vallaurius latinam eloquentiam tradidit in Athenaeo Taurinensi, eius nomen idem sonabat ac latinorum elegantiarum magister, et cultor, ita ut saepe submissa voce hominem transeuntem cives sibi monstrarent digito, dientes: « En ille vir, qui Romanorum linguam tamquam nativam usurpat, quamque nos a matre olim didicimus! »

SUBALPINUS.

DE SACRA CONGREGATIONE
CHRISTIANO NOMINI PROPAGANDO
PRAEPOSITA.

CONGREGATIO de Propaganda Fide originem repetit a Gregorio XV Pontifice, a quo, anno M DCL XII, constitutione *Inscrutabili Divinae Providentiae*, Congregationis finis hisce constituebatur: « Etsi a fel. rec. Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris pastorali vigilantia, ope, studio et industria elaboratum fuerit, ne tam multae messi deessent operarii et negotiatio haec sancta non negligetur, nihilo-

minus Nos, ut maiori cum vigilantia et fervore opus prosequi possimus et in posterum successores Nostri possint, nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium peculiari sollicitudine negotium committendum duximus, prout tenore praesentium committimus et demandamus ».

Urbanus VIII autem, qui Gregorio successit, Constitutione *Immortalis* Collegium de Propaganda Fide erexit, dictum a suo nomine Urbanum. Alumni qui in hoc collegium cooptari expostulant solemnni iuramento se devotevent sacris missionibus in perpetuum. Ad subveniendum vero huius Congregationis necessitatibus maximis omnia officia Ecclesiastica, nullo expedito tributo, huic Congregationi litteras et rescripta concedunt vi alterius ipsius Gregorii XV

tueretur « ad revisionem et correctionem librorum Ecclesiae Orientalis curandam ».

Praesidium aliud ad rem validissimum eidem Congregationi suffectum est per officinam ab Urbano VIII institutam, quae in colligendis typis linguarum praecipue orientalium assiduam operam impenderet, quos tum ab officina Vaticana a Missionariis exceptit. Itaque huiusmodi officina non solum exstitit πολύγλωττος; ceteris tempore prior, sed ita dives, ut invidiam Napoleonis I excitaverit, qui eamdem praedatus est.

Plures officiales Congregationi Cardinalium adiuncti; ac praeter Secretarios duos, alterum negotiis ritus latini, alterum ritus orientalis, consultores ex utroque clero adlecti sunt. Secretariis autem pressius inserviunt ii qui vulgo « minutantes » atque « scriptores » appellantur, scriptis exarantes quae acta a Sacra Congregatione sunt, sive haec in « plena » Cardinalium congregazione deliberentur, sive in « congressibus », qui a Cardinali Praefecto cum minutantibus habentur. Interpretes non desunt inter officiales qui documenta de variis populis apud quos saeculae missiones habentur missa explicent; ex magistris vero qui apud Romanum Seminarium orientales linguas docent collegium philologicum orientale coalescit, quod eidem Congregationi maxima utilitati est.

Sed praeter « administrativam » hanc potestatem, quam tot viris et collegiis Congregatio exercet, iudicialis quoque et legislativa potestas illi non defuit. Ipsius enim Gregorii XV constitutione *Cum nuper ex iniuncto d. XIII mens. Iunii an. M DC XXIII* tribunal constitutum ex ea fuit, omni gaudentis iurisdictione atque omnino

huic Congregationi peculiare ad instar Congregationis S. Officii. At huiusmodi tribunal, reformatio ab Innocentio XI de Urbis tribunalibus inducta, paene abolevit.

Potestate quoque, uti diximus, legislativa haec Congregatio pollet, necessaria quidem, eaque amplissima, quam ad Missionum negotia tractanda ipse Gregorius XV talem addidit, ut Innocentius X Pontifex decreto, quod die XXXI mens. Iulii an. M DC LII prodiit, sanxerit ut « decreta S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide, quotiescumque sint a Praefecto eiusdem firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita, vim et valorem habeant Constitutionis Apostolicae ac ab omnibus et singulis inviolabiliter serventur ». Ab hoc fonte potissimum manavit *ius Pontificium de Propaganda Fide*; siquidem hoc maxima ex parte constitutum fuit decretis, instructionibus et rescriptis ab eadem editis.

Sed quum iurisdictione in certos subditos exercetur ratione territorii distinctos, inde regiones huic S. Congregationi subiectas enumerare iuvat. In Europa sunt: Anglia, Scotia, Hibernia, Suetia et Norvegia, Dania et Germania, Hollandia et Luxemburgensis terra, Helvetia, Graecia, Calpe seu Gibilterra, Candia et peninsula Bal-



Urbanae aedes S. Congregationis et Collegii de Propaganda Fide.

canica. In Asia: imperium Turicum, Persia, Arabia atque India, regiones Indo-Sinenses, imperium Sinarum, et Malesia. In Africa omnes missiones quae ibi florescent. In America Canadensis omnis regio, Antillae et Guyana, civitatesque foederatae boreales in provincias divisiones, denique Patagoniae sacrae missiones ad austrum. In Oceania tandem missiones omnes, quae ibi agitantur.

Negotia iudicia per supplices libellos Congregationi proponuntur atque bis in hebdomada « congressus » habentur; « plenaria » autem Congregatio bis in mense convenit. Negotia referuntur in congressu a minutantibus; in Congregatione a Cardinali « ponente », qui decisivum votum habet. Statutum vero fuit non licere partibus hac coram Congregatione contendentibus advocatorum opera uti; neque ad negotia non iudicia « agentes » constituere.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Episcoporum et Regularium:

— Superior Regularis, ante expostulationem dispensationis Apostolicae pro candidato ad vota solemnia admittendo triennio nondum expleto, exquirere debet votum Capituli mere consultivum, adnotando tamen in ipsa supplicatione quale fuerit iudicium Capituli circa personam candidati, quin postea, obtenta S. Sedis dispensatione, alterum votum expostulet. (Ex decr. d. xxvi mens. Ian. an. M DCCCC IV).

AESTIVA DIVERTICULA

In via ductu ferrea de socialismo colloquium⁽¹⁾.

— Perridicule interrogas, pace tua dixerim. Si credentes in Evangelium, inter eos quos clericales inepto vocabulo dicis, reponendi sint, vir clericalis, si scire cupis, a vertice ad imos talos ego sum. Immo vero, quamdiu ipse vel quilibet ex tuis aliis novum praestantiusque Evangelium hand conditis, Evangelio veteri, velitis notitis, utraque manu subscrivo.

— Ad ordinem civilem instaurandum nil Evangelio est opus.

— Ludo ais amoto?

— Cur ludam? Nos cuiusque ordinis cives recta bonorum administratione ditare volumus, ex qua maiora commoda profluent moresque meliores. Saturnia regna rediisse videbuntur, mihi crede. Ad hoc obtainendum religio potius incommodum. Suam quilibet, si vult, colat; si nullam habeat, satius. Ego quidem Christiana religione puer imbutus fui, quam adhuc sorores meae suavissimae in deliciis habent atque misericordia colunt. Haud diu sane est (fatebor enim), quum socialistarum placita sequor, quorum naturam perscrutato iam mihi tam firmiter de eorumdem veritate suasum est, ut ad ea secunda Curiones, Praesules, Patres Cardinales, Piumque ipsum X pontificem, si possem, allicerem.

(1) Cf. num. sup.

— Magister novitiorum nequit munere examinatoris fungi pro admissione ad professionem quando agitur de suis Novitiis; potest autem si agatur de Novitiis, quorum curam non habet. (Ex decr. d. XIV mens. Iunii an. M DCCCC IV).

Ex Congregatione de Propaganda Fide:

— Insula de Schikoku, a dioecesi Osakensi seiuncta, in Apostolicam Praefecturam erigitur et RR. PP. Dominicanorum curis committitur. (Ex decr. d. XXVII mens. Ianuarii an. M DCCCC IV).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et SS. Reliquiarum:

— Canonici ante altare, in quo Missa celebratur, transeuntes a consecratione usque ad communionem, genu dextero tantum flectere debent. Non vero idem modus genuflectendi servandus est a quolibet sacerdote, qui, sive ad altare procedit Missam celebratur, sive redit celebrata Missa, transit ante aliud altare, in quo tunc Missa celebratur et est inter consecrationem et communionem. Unico genu denique genuflectere tantum debent ceroferarii, qui ab altari discedunt post consecrationem, quum intorticia in sacristiam referunt et quum statim ad loca sua prope altare redeunt. (Ex decr. d. XXI mens. Maii an. M DCCCC IV).

— Indulgencia septem annorum totidemque quadragenarum, defunctis quoque applicabilis, conceditur sacerdotibus ceterisque qui cum eo post preces in fine Missae ter addant invocationem: « Cor Iesu saecratissimum, miserere nobis ». (Ex decr. d. XVII mens. Iunii an. M DCCCC IV).

— Festum duplex maius affixum certae mensis diei occurrentis cum festo dedicationis ecclesiae cathedralis, vel cum alio festo duplice primae classis diei Dominicanae affixo, nec habens deinde usque ad XXXI mens. Decembri diem liberam, in quam reponatur, est penitus eo anno omittendum. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii an. M DCCCC IV).

— Si posses!... contra votum tibi usque nunc accidit, aut ego fallor.

— Sane quidem: isti omnes, veluti agmine facto, nobiscum manus conseruerunt. At qui in Gallia rempublicam administrant religiosos Ordines per hos dies e patriae finibus expulerunt, quod nos Itali imitabimur, uti spero. Viri Deo devoti in claustris delitescentes, iampridem clamarent ad arma, in aciem mox prodituri, acutissimis gladiis instructi: hi sunt adversarii nostri magis reformidandi!

— Quidquid est, viri Deo devoti iure suo utuntur.

— Nolim te esse eorum sectatorem; numquid....

— Tertio idem interrogas. Desine hoc a me petere, vir optime: si pulchre vereque loquantur, sector quos volo. Veritatem libens undeque, vel ex ore adversarii audio. Id tantum affirmo, parvi esse laboris agnoscere socialistarum placita inter calentis phantasiae figmenta amandanda esse. Age sis, si bene me memini, nuper dixisti socialistas oeconomicam instauracionem velle. Quo consilio id vultis?

— Iam dixi: ut aequior distribuatur operariis merces, simulque brevius labori tempus praefiniatur.

— Qua via id speratis vos consequuturos?

— Suadendo operariis ut heros alloquantur, et aequiores ab ipsis pactiones petant, dum inter haec ab opere omnino abstinent.

— Nec vim ullam infertis, ut....

ACTA PONTIFICIA.

Decretum Sanctissimi per S. Congr. Concilii vulgatum de observandis et evitandis in Missarum manualium satisfactione.

Ut debita sollicitudine Missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SS. Mus. D. N. Pius PP. X accurate perpendit, prouerbavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales Missas praesenti decreto intelligi et haberri eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeant.

Pariter inter manuales Missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constituta, quibus Missis ubi vis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium, vero esse, quae in aliqua ecclesia constituta, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit:

1º Neminem posse plus Missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum

— Nullam; immo vim quamlibet inferri omnino prohibemus, ut commode novae inter heros atque operas conducticias pactiones confiantur.

— Nullam vim adhibetis, desertionem tamen operis exposcitis. Scire equidem velim, quo nomine nisi violentiae ista operis desertio vocanda sit. Quousque tandem vulgi credulitate abutemini? Integrum sit operariis ab opere abstinere, quum ad id a vobis non allicantur. Falso in clamatis: « Libertatem sartam tectaque volumus; vim prohibemus » scio enim quo tandem spectetis. Ipse nuper dixisti G... oppidum ea mente petere ut operarios ad opus deserendum inducas. Ecquis, aedopol, tibi hanc demandavit provinciam? Hoc temerarium et violentum est. Nec dicere audeam quanto detimento ipsis operariis id sit futurum. Adde quod acuis odium in heros, quos ad concedendum urges iuxta operariorum petitiones. Neque ulla suppetit alia via quae virum honestum deceat atque Christianae legis servatorem?

— Nempe dixi te unum illorum esse.

— Nempe senseram me in hominem incidisse, qui, patrum suorum fide contemta, in gregem socialistarum sese proiecit, ignarus poene quid ageret. Nec miror: ii praesertim qui medio rite sapiunt, insidiis profligatorum hominum facilitatione excipiuntur. Tu - absit verbo invidia - haud mihi videris....

(Ad proximum numerum). CRIVELLUS.

vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2º Utile tempus ad manualium Missarum obligationes implendas esse mensem pro Missa una, semestre pro centum Missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum Missarum.

3º Nemini licere tot Missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro Missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam depositant, aut longius tempus concedant, aut maiorem Missarum numerum sponte sua tribuant.

4º Quum in decreto *Vigilanti* die xxv mensis Maii an. M DCCC XCIII statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiari et administratores piarum causarum, aut utecumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum »; ad tollendas ambiguities Eñi Patres declarant ac statuant, tempus his verbis praefinitum ita esse accipendum, ut pro Missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponatur a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; pro Missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno Missarum numero; salvis prescriptionibus praecedentis articuli pro minori Missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum, quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5º Qui exuberantem Missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis Missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6º Qui Missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero Missas a fidelibus susceptas, aut utecumque sua fidei commissas, alias celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequunti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et Missis satisfacere teneatur.

7º Ordinarii dioecesani Missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis, quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « Missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, qui eis indigere non verint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extra dioecesanos, dummodo sibi noti sint omni exceptione maiores », firma semper regula art. VI de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8º Vetus cuique omnino esse Missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diaconis et ephemeridum administratoribus, etiam si religiosi viri sint, nec non vendoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui Missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitut enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis Missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino

praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumperit aut scienter tradendo Missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurrit.

9º Iuxta ea quae in superiori articulo constituta sunt decernitur, pro Missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro Missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a Missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublati declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubi vis, quovis titulo, forma, vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10º Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope Missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de Missis celebrandis sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat, in subsidium alicuius commercii vergat.

11º Item sine nova et speciali S. Sedi venia, (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitum et opportunum cautelis), ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariorum tradere solent, non licere quidquam detrahere, ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12º Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurriendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservatae obstringetur.

13º Et cum in const. *Apostolicae Sedis* statutum sit excommunicatione latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas » maioris pretii, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent » S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14º Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope Missarum iam initiae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae Missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarum piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15º Denique quod spectat Missas beneficiis annexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandas traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuant, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro Missis vero in paroecias aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacem*. xxv mens. Iulii M DCCC LXXIV et *Hildesien*. xxii mens. Ianuarii M DCCC XCVIII.

In *Monacem*. enim « attento quod eleemosynae Missarum quorundam legatorum pro parte locum tenent congruae parochialis, Eñi Patres censuerunt licitum esse parochi si per se satisfacere non possit, eas Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro Missis lectis, sive cantatis ». Et in *Hildesien*. declaratum est, in legatis Missarum aliqua in ecclesia fundatis reteri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redditum portionem, quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales Missae, quae a fidelibus traduntur, ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et Missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti; quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. C. Concilii die xi mens. Maii an. M DCCCC IV.

VINCENTIUS Card. Ep. Praen., *Praef.*
C. DE LAI, *Secret.*

Spatio deficiente, ad proximum numerum delegamus Pontificias litteras ad Eñum Card. Urbis Vicarium missas, quibus clerici omnes et sacerdotes Romam, studiorum causa, adeuntes, Seminaria vel Collegia ecclesiastica ingredi praecipiuntur; nos autem in comodum Sociorum latine reddidimus.

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. Iulii – d. xx mens. Augusti M DCCCC IV).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliosque ministros, qui sui cuiusque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, inter viros apud Ipsum admissos peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: adulescentes ex plebe inter Urbanas regiones « Montium » et « Esquiliarum » congregati ad militarem recreationem catholice excipientem; Alois. el Khazen, procurator gefilis Congnisi Maronitarum; Wolfram De Rothenam dynasta, legatus extraordinarius atque administer gefilis Borussorum apud Apostolicam Sedem; p. Gregorius a Jesu et Maria, minister generalis sodalium excalceatorum SSmae Trinitatis; Capitulum basilicae-collegiatae S. Mariae in via Lata de Urbe, ab eñi Card. titulari Aloisio Macchi coram adductum; Iosephus Gutierrez de Agüera, Hispaniae legatus apud Apostolicam Sedem; p. Sanctes Sorini, rector gefilis Cleric. Reg. a Matre Dei; Urbani cives e paroecii S. Mariae e fornacibus, S. Petri in Vaticano, S. Spiritus in Sassia; suburbani cives e paroec. S. Honufrii et B. Virginis de Rosario; Hieronymus Fani comes; p. Petrus Armengaudius Valenzuela, magister gefilis Mercediariorum; Carolus Pagani-Incornati marchio; adulescentes ex Urbano « recreatorio » cui a Marco Antonio Columna duce nomen, quorum signo Pontifex sollemniter benedixit; p. Felix Fioretti, praepositus gefilis Congnisi S. Pauli Apost., vulgo Barnabitarum; Stanislaus Medolago Albani, comes, populari Italorum catholicae actioni praepositus; Maximilianus d'Erp dynasta, administer gefilis et legatus extraordinarius Belgarum apud Apostolicam Sedem; Brasilienses nautae ad Italiae litus appulsi.

Pontificiae electiones.

Ad Servorum Dei beatificationem, Beatorumque canonizationem proxime habendas procurator electus est eñus vir Aloisius Tripepi; ad praecavandas autem et dirimendas de re controversias deputati sunt eñi Patres Cardinales Aloisius Tripepi idem, Antonius Agliardi, Dominicus Ferrata, Ioan. Bapt. Casali Del Drago, Sebastianus Martinelli, Desideratus Mathieu, Aloisius Macchi; ex eñi viri Petrus Piacenza, Diomedes Panici, Alexander Verde, Angelus Marian, Franciscus Riggi. Praesides denique Postulatorum dicti sunt Xaverius di Canzano et Iosephus di Bisogno, Vaticanae basiliacae canonici.

— Eñus vir Sebastianus Martinelli inter Patres S. Congnisi rerum ecclesiasticarum extra ordinem, et eñus vir Iosephus Calasanctius Vives y Tuto inter Patres SS. Rit. Congnisi cooptantur.

— R̄m̄us vir Franciscus Braggiotti, Constantino-politanae Apostolicae Legationis cancellarius; Ioannes Mercati, Vaticanae bibliothecae addictus; Caesar Gismondi, r̄m̄i capituli S. Mariae in via Lata prior, inter Urbanos antistites adsciscuntur.

— Excm̄us vir Bartolomaeus Mira, episcopus Amaten. episcopis addicitur Pontificio solo adstantibus.

— R. p. Iosephus Haegg e Congr̄e Spiritus Sancti a consiliis SS. Rit. Congr̄is eligitur.

— R. p. Augustus Henninghaus Vicarius Apostolicus Shang-tunc inferioris nominatur.

— Ad relationes Visitatorum Apostolicorum in Italia perpendendas cautionesque proponendas, quae necessariae atque opportunae videantur, diliguntur a Pontifice Purpurati Patres Vincenti Vanutelli, Franciscus de Paula Cassetta, Casimirus Gennari, Andreas Ainti, Felix Cavagnis; atque Urbani antistites Caietanus de Lai, Basilius Pompili, Scipio Tecchi.

Varia.

— Die xxvi mens. Iulii coram SS̄o generalis SS. Rituum congregatio habetur ad indicandum: a) de duobus miraculis, quae a Deo patrata feruntur intercedente B. Gerardo Maiella e Congr̄e SS̄i Redemptoris, ad eiusdem canonizationem propositis; b) num deinde tuto procedi possit ad ipsius canonizationem peragendam; c) num denique tuto procedi possit ad beatificationem V. S. D. Stephani Bellesini ex Ordine Eremitarum S. Augustini. — Pontifex die xv mens. Augusti decreta de re favorabilia sollemniter edidit.

— Die ix mens. Augusti in Vaticana basilica Pontificia Cappella habetur ad grates Deo agendas ob primum Pontificatus annum a Pio PP. X feliciter expletum.

Vita functi viri clariores.

Theotimus Verhaegen episcopus, Fridericus Verhaegen eius frater, sacerdos, p. Florentius Robbrecht, I-tchang in oppido Sinarum in odium catholicae fidei interempti sunt.

— Beyrouth supremum diem obiit Petrus Gonzales Carolus Duvas, ex Ordine Praedicatorum, archiepiscopus Petraeus, legatus Apostolicus Syriorum Orientalium et Vicarius Apostolicus Latinorum Aleppen., Tutelae natus an. M DCCC XXXIII.

— Levici ad Genuam repente morbo correptus est excm̄us vir Iosephus Gutierrez de Agüerra, Hispanorum apud Apostolicam Sedem legatus.

— Constantinopoli cursus vitae absolvit Augustus Bonetti, e Congr̄e Missionum, Archiepiscopus Palmyrenus, legatus Apostolicus Orientalium Byzantii, ibique Vicarius Patriarchalis Latinorum, Marialdi, in Montis Regalis Pedemontanae dioecesis oppido, natus an. M DCCC XXXI.

ANNALES.

Iaponicum bellum.

Tempus adhuc longe abesse videtur, in quo, ni finis, induiae saltem bello Iaponios inter atque Russos imponantur; Iaponii praesertim nullam requiem se habituros demonstrant, donec Arthuro portu fuerint potiti. In hunc itaque conatus omnes conversi sive terrestribus, sive navalibus copiis, ita ut Russi supremum periculum aggressi fuerint ad suas naves inde cum navibus in Wladivostockio portu collectis coniungendas. Res tamen frustra tentata; quum enim altum naves attigissent, ab hostibus circumventae et post diuturnam strenuamque pugnam dispersae, aliae aqua mersae sunt, aliae retro cesserunt, aliae denique in sinus gentium neutri parti faventium confugere coactae sunt, ubi arma iis deponenda fuere. Narrant iaculatorium Russicum navigium, cui nomen Rechitelni, in Cefù

Sinensi portu receptum, a Iaponiis ultro fuisse petitum ac per vim, iure gentium violato, sibi addictum; quamquam Iaponii factum suum purgant dicentes suorum agmen missum ut videret num reapse hostium navigium fuisse dearatum, hostes nautas contra proditorie in speculatoris illos impetum fecisse, inde manus consertas, Russos navis munitionibus ignem iniecerisse, victoribusque Iaponiis licuisse navigium belli praedam sibi facere.

Haec praecipue in mari gesta: neque tamen credendum in terra nullum certamen pugnatum. Exercitus enim cui Oku imperator praest iter susceptum a Kaiping urbe ad Wa-fan-ku prosequutus est; recendentibusque posteruanta proelia Russis, Ta-chi-chao et New-chuang occupavit, rem sibi frumentariam facile inde providens; praeterea cum Nodzu imperatoris copiis suas colligens, hostes ad Hai-cheng circumvenit atque Liao-yang versus impulit.

Kuroki imperator pariter haud quievit: qui iuxta Motien-ling montes procedens bis Russorum vicer abiit, ad Ton-su-gu atque Yan-zuling, quorum in altero praelio Keller, Russorum dux strenuissimus, occisus est.

★

Russorum minister domesticae rei praepositus nefarie interemptus.

Quae dum haud prospere Russis in Asia vertuntur, en facinore horribili Petropolis ipsa turbatur; necem dico De Plehwe administrari, domesticae rei praepositi. Licet enim populari aura ille minime gauderet, libertatisque severus oppressor vulgo iudicaretur, non tamen sine horroris sensu accipere possumus efferata haec delicta, humana gente prorsus indigna.

★

Russici imperii haeres natus.

Animi moerorem, quem eventus quos memoravimus in Russos induxerunt, levavit saltem imperii haeres his diebus natus, cui nomen Alexius impositum. Omina et spes undique exortae; quibus libenter accedimus, eoque magis si infantuli expectatissimi lenis innocensque risus signum honestae decoraeque pacis populo suo afferat.

★

Angli et Germani in Africa.

Angli nulla pugna pugnata Lhassam, in Thibetanae regionis urbem caput, pervenere, dum magnus-Lhama qui dicitur, gentis rector summusque sacerdos, in sua arce tacita ira se includit. At tandem aliquando nido iterum exhibit ad foedus cum Anglis ferendum, ni ad peiora verti res suas videre cupierit.

Germani pariter, at dupli clade in Herreros inflata, eos fructus sibi acquisituri videntur, quos diuturni ac patientes coloniarum ibi deducendarum cultusque labores iuste requirunt.

★

Australis Americae motus.

Crescent in dies australis Americae discordiae bellaque civilia. Ex Haitiana republica voces innovantur gravium perturbationum, quinquo probabilis in exteriores concitationis. Civitatis administrari seditionis favere videntur; ipse enim civitatis praeses publice exteriores accusavit, quippe qui gubernium evertere stupererent.

Dum autem in Uruguayana praesidi ipsi vis infertur, in Paraguayana republica civilis perturbatio exoritur, hominesque evertendarum rerum cupidi locis fortissimis se communissse dicuntur.

★

Discrimen inter Galliam et Apostolicam Sedem.

De valde dolendo illo discrimine a Gallico gubernio in Apostolicam Sedem commoto, fuse alias hoc ipso in Commentarii nostri fasciculo loquuti sumus: id unum heic addere iuvat, Divisionem episcopum, spretis fulminibus, quae rei publicae administrari in eum minitati sunt, Romam petiisse, ac facinora sua ad pedes Summi Pontificis laudabiliter deplorassem.




PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

IN Anglia regiis litteris, in quibus praecipuae quaestiones expositae sunt quum de rebus externis, tum de internis, oeconomicis praesertim, in utroque coetu disceptatis, feriae indictae.

In Batavia electiones primi coetus nuper habitae minus propriae « liberalibus » cesserunt.

In Canada rogatio legis oblata, ut manuum laborum solum ab exteris quaeratur, quum incolarum deficitat.



AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.

I.

In numero tundit durus me malleus ietu,
quem sudans fabri dextera gnava vibrat.
Inseritur mihi vocalis? Convestio ripas.
Terere vin' calathos? Do tibi materiem.

II.

Sum vox una? Cui natura maligna vigorem
cuique negat vires, huic bene convenio.
Dividar in voces binas? Exire iubebo
a nobis litem. Sit — precor — usque procul!

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:
SATURIO.

Aenigmata an. VII, n. VI proposita his respondent:

1) Splen-dens; 2) Nympha, Lympha.

Ea rite soluta miserunt:

Io. B. Pesenti, *Sedrina ad Bergomum*. — E. Burg, *Argentorato*. — Collegium Scholarum Piarum *Steilae*. — Ioan. Cantone Ceva marchio, *Vercellis*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — I. Walter, *Neo Eboraco*. — A. Libani, *Civitanova Picena*. — F. Arnori, *Mediolano* — Ios. Fox, *Musson in Belgis*. — Fr. Szymanski, *Niestrono*. — Henr. Tarallo, *Neapolit*. — Andr. Papay, *Pruzinia*. — Alois. Berthé, *Montboron*. — Cam. Straschill O. F. M., *Villaco*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Verellas*. — Zvirzina par, *Lohnau* — Gust. Grünes Sch. Piar., *Ioachimivale*. — N. D. Malyniak, *Stuvnica*. — Cos. Cerasuoli, *Aesernia*. — F. Skiba, *Brestau*. — Petrus Tergestinus.

Sortitus est praemium

ALOISIU BERTHE

ad quem missum est FRANCISCI XAV. REUSS carmen in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum, quod inscribitur:

AD FRANCIAM.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Facis Phil. Cuggiani*.

SOCIIS MONITUM.

SSMI DNI N. PII PP. X IMAGO, qua superiorem Commentarii nostri numerum decoravimus, ex tabula aere cusa desumpta est, quam renovata nuper ad gloriam antiquissimam officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam post menses septem assidui indefessique laboris recens edidit. Imaginem autem ipsam deligimus, quum vultus vigorem, oculorum vim lineamentaque Patris amantissimi praeter ceteras aperiat, itemque artis opus proferat selectissimum, quemadmodum Ipse Pontifex, — qui pro animi sui benignitate plures artificem apud se admisit, coram eo constiturus, ut opus omnibus numeris absolveret, — recognovit, autographon denique sub exemplari sibi oblato apponens, quod pariter sociis videre fuit.

Nos itaque ut eorumdem sociorum diligentiae nostrae pignus novum praeberemus, apud memoratam officinam institimus, ut exempla imaginis nobis concederet commentarii *VOX URBIS* sociis imminuto pretio divendenda; qua nostrae sollicitudini gratiore annuente, factum est ut *tabula metr. 0,63 × 0,85 apposita charta manu facta, calchographice impressa, quae vulgo lib. 8 venum datur*, apud nos haberi queat lib. 6 ad domicilium quaerentis, nullo scilicet diribitorio debito pretio.

Iussa vero unice mittantur ad ARISTIDEM LEONORI EQUITEM, Commentarii *VOX URBIS* possessorem et administratorem, Romam (*Via Alessandrina, 87*).

PER ORBEM.

M^{III} indesinenter peraganti orbem **nova pericula** heu! instant: non enim iam a consuetis infortuniis vita in discriben adducitur, ut vaporitraharm occursu, e ferreis axibus curruum egressu, et similibus: homines hinc, inde belluae miseris viatoribus insidunt. Nonne audistis curruum seriem, ad Aloisianam Americae omnium artium expositionem multos homines adducentem, in medio itinere a latronum manu fuisse invasam, eosque, post male mulcatos viatores resistere conantes, omnibusque rebus pretium habentibus potitos, fugam arripuisse ac tuto in silvas sese abdidisse?

Alii currus septentrionalis Americanae societatis, cui vulgo nomen *Cannal and Black Forest Railway*, ad oppidum Vicox Summit per venerant, quum ursus, grandis quidem et eretus, inter ferreos tramites conspectus est, eique proximi comites ursini duo, eodem ritu consistentes. Periculum progredi erat profecto; itaque vaporitrah cursum intermittens sibila acutissima vaporisque turbines emittere coepit, ea de causa ut belluae in terrorem conjectae arcerentur. Frustra tamen; neque meliorum exitum obtinuit magna lapidatio, quae deinde a viatoribus famulisque facta est: pervicaces enim ferae solo offirmitate videbantur. Quid denique restabat? Perticæ arreptæ, alteri eorum capitì obvoluti panni sunt petroleo mafacti, foco immissio in bellugas actae, quae, quum pellem et os aduri sibi sentirent, tandem aliquando a suo loco recesserunt. A suo loco dixi; sedem enim tantum mutarunt, rectoque ordine, pedibus posterioribus innixa, intrepide iuxta currus sese collocarunt, stantes donec omnes pertransierunt.

Necopinatum quidem neque laetum circum euntibus Americanis illis spectaculum; necopinata pariter ac magis acerba, quae proximis hisce diebus fulgura passim patrarunt. Me-

morem Cherbourg in portu torpedinem quam dicunt iaculatoriam machinam in aquis reconditam alterius ex iis electrico igne fuisse disruptam, damnaque navibus litorique intulisse; Chalonii ad Ararim flumen fulgere pariter templum quoddam, antiquitate conspicuum, omnino deletum.

Gravissima vero damna ab incendiis sunt procurata. Primum Telonii in navalibus extortum; paucis post diebus Esterel in Gallica silva saeviit; proximis autem in nemore illo celeberrimo ad Fontainebleau, cuius decem millia et ultra mensurarum, quas «aras» vocant, flammarum praeda fuerunt. Ignis ad oppidum ipsum pervenit; quamquam, haud deficiente aqua, eius rabie heic brevi coercere datum est.

Contra Victoriae in Britannica Columbia incendium in officinis ad secandas arbores excitatum urbis partem ad septentriones positam pervasis, consumpsit.

Pariter Neukalusz in oppido ad Leopolim domus nonaginta quinque ignis pervastavit; Kisuczajhely autem apud Budapestinum trecentas, hominumque sex cladem procuravit.

○

Sed iam finem aerumnis, quibus assuevimus, hodie imponamus, vitaque funetos viros clariores brevi commemoremus.

Ad lacus Lemanni ripas, Clarens in oppido, quo extorris patria recesserat, gravis annis procellosae vitae cursum absolvit Paulus ille **Krugerius**, ob recentes australis Africae eventus omnibus notus. Anno M DCCC XXV natus, quum populus eius, Boeri scilicet, primum agmen, ut ita dicam, constituerent, quod fines defendere Anglii imperii contra Cafrorum Zuluque barbarae gentis indesinentes incursiones, etiamtum adulescens, suis frustra res repetentibus ex pacto constitutas, ad bellum profectus est, unde Transvaaliana civitas et liber de Orange status in posterum exstiterunt, si-

bique rerum gestarum famam procuravit, quae fabularis quasi historia apud cives suos manaret. Anno M DCCC XLVIII iam ducis munus in Orange erat assequutus, atque post annos quatuor reipublicae Transvaalianae condendae operam addebat: deinceps summus imperator, inter supremi consilii viros, alter a reipublicae praeside electus est. Quum autem an. M DCCC LXXVII Anglia Transvaalianam regionem sibi addixisset, legatus Londinum est missus, ut accessionis revocationem quaereret; re vero infecta in patriam reversus, una cum Ioubert ac Pretorio triumvir est factus ad luctandum cum Anglis, qui ad Acaibam profligati Transvaalianae reipublicae libertatem tandem recognoverunt; cui in posterum tuendae cives plures Krugerum praesidem delegerunt. Auri atque adamantium fodinae in regione inventae, Anglica colonia in dies aucta ac praecipue Cecili Rhodessi ambitione, Anglicum imperium in infima Africa ad instar Indici somniantis, causa novarum dissensionum inter daos populos fuere. Iamersonii satis notus ille conatus, ut duabus civitatis potiretur, ineassum quamvis cessisset, Krugerius facile intellexit libertatem patriae sua in discriben iam adductam; itaque totum se dedit ad gentem terramque suam omni ope munendum; verum neque bellici apparatus, neque civium virtus, neque Krugerii ipsius tenacitas extremam ruinam vitarunt, cui ipse dolens usque ad ultimum adfuit....

Viro huic libertatis summo adsertori, quem ipsi victores hostes vivum admirati sunt, mortuum autem, indomitum quamquam, honoribus suis dignum putarunt, hominem alium, in officiis civilibus non ignobilem, letum coniunxit, **Petrum Mariam Waldeck-Rousseau**, qui Gallicae reipublicae gubernacula tenuit ac praesidem futurum praedicabant; cuius vero nomen historia tradet, quippe qui Sodalium religiosorum beneficam actionem primus coereuerit; atque Combessi hodiernam persecutionem, quamvis fortasse praeter voluntatem, moverit. Natus erat die II mens. Decembr. an. M DCCC XLVI.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCIV.

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCII CONSTITUTA

ad libitum:

- a) Tabula metr. $0,45 \times 0,22$ Pontificiae dominationis auspicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCCXLVI peractam, et in Commentarii "Vox Urbis", commodum unice ex antiqua tabula desumpta; *sive*
- b) Collectio chartularum electissimarum, quae distincta coloribus praecipua Romae, aut eius vicina redundunt; *sive*
- c) Urbis et Ianiculo monte prospectus. (Tabula aere cusa metr. $1,10 \times 0,24$)

Donum, quod voluerit, quisque subnotans petet
primum intra mensem ab eius subnotatione et cum
ipso subnotationis pretio.